



**V** Vilhelmus ex nobili familia Grumpachiorū anno circiter 1495 in Frāconia natus, à pueris statim literis operam dedit, & mediocrem in ijs cognitionem acquisiuit. Postea quoq; Cæsaris castra secutus armorum usum didicit, & multa suæ uirtutis documenta ædidit. Itaq; in patriam reuersus in magna authoritate fuit, & Euangelij doctrina percepta eam summopere dilexit. Accidit autē postea anno 1552, ut Albertus marchio ( cuius erat beneficiarius) cum Episcopis Bamburgensi & Herbipolensi aliquas contentiones haberet, ita ut res ad arma deueniret. Erat autem Vuilhelmus & Episcopo Herbipolensi ob loca quædam deuinctus. Verū

ob Euangelij professionem sese Alberto coniunxit, & equitum magister constitutus fuit. In eo bello præclaram operam nauauit Alberto, atq; tandem Episcopus (iniquis tamen conditionibus) marchioni reconciliauit. Cum autem postea Cæsar eam pacem annihilasset, atq; Albertus tandem sua ditione pulsus et proscriptus esset, etiam Vuilhelmus suis bonis amissis patria eiectus fuit. Itaq; is libro edito suum factum excusauit, & se innocentem esse ostēdit.